

SOL METTENÆ
LVGE NOVA SPLENDENS
ONOMASTICA FESTIVITATE
REVERENDISSIMI, PERILLUSTRIS,
AC AMPLISSIMI
DOMINI, DOMINI
ADALBERTI

ORD. SS. P. BENEDICTI,
Antiquissimi Monasterii ad S. Michaëlem Archangelum
in Metten

Bavariæ inferioris

ABBATIS
VIGILANTISSIMI &c. &c.


S. Congr. Cassinensis

ABBATIS DIGNISSIMI


Observatus

Et a Subjectissimis Filiis Applausu Musico
Honoratus

Die XXIII. Aprilis.



STRAUBINGÆ, Typis Cassiani Betz,




P E R S O N Æ
CANENTES.

METTENA.

GENIUS METTENÆ.

GENIUS VERITATIS.





Mitena.

Manhu! . . . quis insolitus ferit oculos decor,
Splendorque lucis? . . . atra si noctis peplo
Umbrata tempora cogito, . . . si permeant
Mentem dies tenebris operti pro' meam! . . .
Artus rigent, stupet animus, pectus quatit
Horror, novusque concutit miseram tremor.

A R I A.

Bellator fronte pallida
Enarrat sua prælia,
Et impigros labores;
Horrore fufus Navita
Recenfet, quæ pericula,
Quos fubiit angores,
Et ego læta facie
Sim immemor dolorum?
Optata modo requie
Oblita fim mærorum?

Ast non decet tristi ingredi vultu , novum
Dum nubibus pulsus vehit Phæbus diem :
Fors sortis adhuc melioris interpretes mihi est.

Genius Mett. Dilecta Salve mihi Soror! . . grater Tibi
Faustum diem, has modo me ire compulit vias.

Mettena. Præsentia lætor Tua frater ! diem
Quem Tu , ipsa gratulor mihi , præsens sua
Qui luce fausta montium pingit jugal
Vicina , singulosque rapit sibi suo
Splendore fateor : miror insolitum jubar,
Nec tam sereno visus est Phæbus mihi
Risisse vultu unquam.

Genius Mett. - - - - Poli id munus puta.

A R I A.

Ut Nauta vela pandit

Spiranti Zephyro,

Ut Victor arcem scandit

Hoste deperdito,

Et lætus stat.

Sic pulsus nubibus,

Fati assaultibus

Explica sinum

Excipe bonum,

Quod cælum dat.

Mettena. Sincera dico : gaudio vix me satis
Capio ; tamen quid sibi velit , modo nescio.

Gen. Mett. Non ergo sat clarus tibi Phæbus nitet ?

Mettena. Clare nimis : . . at has post tenebras cæcutio
Tamen.

Gen. Mett. - - Doloris immemor Mater , puer
Si natus est.

Mettena. - - - O læta sint mihi omina !

Gen. Mett. Amicus en ! qui tibi , docebit omnia.

Gen. Verit.

Gen. Verit. Dum cuncta plausu , gaudioque personant
 Amata ! sola cur gradu dubio hæsitas ? . . .
 Quid anxia in cunctas caput vertis plagas ? . . .
 Serenus applaudit Polus , tripudiat
 Tellus , sibi que Te sociam plausus petunt.
Mettena. Sermone quo tendas tuo , haud intelligo.
Gen. Verit. Percipe bonum , latumque , quod tibi nuntio :
 SOL ORTUS EST NOVUS . . . tibi cætera cape.

A R I A.

Si Persæ prono poplite
 Hoc fidus honorarent,
 Quis dicat toto tramite
 a vero quod errarent?
 Ast non est datum Gentibus,
 Sed piis solum mentibus.
 Quæ vere colerent,
 Donum agnoscerent,
 Et semper adamarent.

Mettena. Ænigma loqueris. Plura fac per Te sciam.
Gen. Verit. SOL ORTUS EST NOVUS Orbe scriptus litteris
 Circum novis . . . Quin læta denotent , nemo
 Dubitat.

Mettena. - - Quis ergo litteras porro legat ?
Gen. Verit. Quisquis velit , legat.
Gen. Mett. - - - - Soror ! tubum applica,
 Et litteras si legere noris , indica.
Gen. Verit. Sequi monentem ne dubites , hortor.
Mettena. - - - - Sequor.
 Pro' ! . . . quantus oculos allicit splendor meos!
 Ridente vultu Cynthus mihi prospicit , . .
 Solitoque lucentes magis radii emicant.
 . . . Lux tota visum , . . tota lux mentem obruit.

Gen. Mett.
Mettena.

Omen tibi bonum est Soror ! vide, lege,
Amice! . . . quid? . . . quid video! . . . frater! . . . quid lego?

ADALBERTUS SOL NOVUS

Ah ! deficit sensus . . . ruentem gaudio
Frater levato !

Gen. Verit.
Gen. Mett.

- - Deliquium felix!
- - - - Nequit
Hoc corculum tantum tolerare gaudium.

A R I A.

Ut Rosa florum Domina
Nitefcit, scintillat,
Et mentes abripit;
Amati sic vel syllaba
Amantem titillat,
Sensu destituit,
Et fere enecat:
At illa ut refrigerat,
Sic hæc amantem recreat,
Et vires novas dat.

Recit.

Animum resume ! teque lætitiæ soror !
Para.

Mettena.

ADALBERTUS SOL NOVUS.

Gen. Mett.

- - Tibi est soror ! tuisque , & omnibus, - -
Quo , dice, splendorem suum non fuderit
Sol Tuus ADALBERTUS ? - - profana jungito
Sacris , profanis Sacra : valles , & juga
Pete montium : foris & intus quærito :
Viciniã consule, venit & quisquis procul,
Jam Phæbum ADALBERTUM tibi omnes prædicant.

Mettena.

Mettena. Dix'ti satis, superque dix'ti ; non tamen
Omnia , mihi dicenda quin forent super
Plurima; . . . sed innatus sacrae Modestiae
Rubor vetat.

Gen. Verit. - - Paucis : quod est Polo & solo
Sol, hoc ADALBERTUS tibi est, hoc omnibus.

A R I A 2.

Gen. Verit. Nosce chara! Caeli dona
Tota plaude júbilo.

Mettena. Nosco , mihi quanta bona
Veniant hoc Cynthio.
Hunc Favorem viva colam,
Recolam & Mortua.

Gen. Verit. Sic Beatam semper dicam,
Sic amabunt sidera.

Mettena. Adoro supremum Poli Numen, Cui
Grates rependo maximas, quod fecerit
Solem Hunc super caput meum oriri. - - mihi
Meisque grator. - - quidquid in se continet
Virtutis, omne id in bonum mihi prodigus
Effundit hic Phæbus.

A R I A.

O Josue genita sim !
Ad normam sancte Patris
Se nunquam volvat atris
Hic Phæbus tenebris,
Sed meam sciat vim !
Non hostes timerem,
Quin eos docerem,
Ut prius saperent,
Quam me affigerent,
O Josue genita sim !

Gen.

Gen. Verit.

- - - - - dolorem pristinum
Renovare quid juvat ? . . . diem júbilo sacrum
Contamines luctu , cave.

Mettena.

- - - - - Absit cogitem :
. Quin potius istud Vos rogemus : mecum diem
Omnes ADALBERTI Sacratum Nomini
Festum agite , Præsulique Nostro Amplissimo
Votis probis , & candidis applaudite.

C H O R U S .

Dies ista , felix , Pia
Ævo nullo occidat ;
Sed Completa Phæbi Via
ADALBERTO redeat !

I. O. G. D.

